



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Eruditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

Humilitas quanta laude digna, & quàm necessaria ad salutem: ad quam  
duplici via quis peruenire potest. Cap. LXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

*Humilitas quant a laude digna, & quàm necessaria ad salutem: ad quam duplici via quis peruenire potest.*

*Cap. LXXVII.*

**D**um esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Cantic. i. Mirandus ordo verborum: Dum esset rex in accubitu suo, id est, dum propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, fieri dignatus est Filius Virginis, & assumere supplicium crucis, tam viuens, q̄ moriens viam amplectens humiliationis, vt nos incitaret ad effectum imitationis: nardus mea, scilicet charitatis & humilitatis, dedit odorem suum. Est enim nardus quaedam herba humilis, & calidæ naturæ, tam humilitatem, quàm charitatem aptè significans: quæ duæ virtutes semper mutuo complexu coambulant, & lectulum sponi delicate coaptant: charitatem tamen regia via præcedit humilitas, & eam sicut seta filum ad cubiculum mentis inducit: nimirum cum per eam maximè remoueat impedimentum humanæ salutis, quæ consistit in hoc, quòd aliquis ad spiritualia & cælestia non ficit, sed veraciter tendat: à quibus impeditur, dum in terrenis magnificari studet, omnia faciès vel dimittens, vt videatur ab hominibus. Hinc dicit Gregorius: Perit omne quod agitur, si non sollicitè in humilitate custodiat: Omnis namq; labor boni, & fuga mali sine humilitate vanitas est: quia talis semper seipsum querit, non Deum. Sola humilitas est, quæ metem diuino accendit lumine, ac inflamat cælesti desiderio & amore. Hinc humilitas est quasi quaedam dispositio ad habendū liberum accessum in spiritualia & diuina bona. Vnde merito dicitur radix omniū virtutum, humorem gratiæ singularis profuè subministrans, cui competit illud Ecclesiastici: Sicut aqueductus exiit à paradiso. Dixi, Regabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum. nimirum cum Deus superbis resistens, solis humilibus dat gratiam, sine qua virtus omnis arescit, cum qua virtus alia quæcunque coalescit & proficit. Quia (vt dicit Hugo de claustro animæ) sicut mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diuersitatibus specierum, sic ex humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum. Nec ergo mirum, si virtutem hanc velut vnicam regis filiam Christus in mortali corpore tam euidenter exemplis exhibuit, & eam à suis amplecti docuit, dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Ideo namque virtutem hanc Christus suis

R r 4: sequa-

Nardus.

Humilitas.

Ecclesi. 24.

Iacob. 4.

Matth. 23.

sequacibus tantopere studuit ingerere, quia sola humilitas reddit hominem Deo suo fidelem, eidem ascribens omnia bona, ac sibi ipsi omnia prava, nec insolescit aliquando in prosperis, nec deicitur in aduersis. Sic beata Virgo Domini mater, ab aeterno Patre tam singulariter electa, à Spiritu sancto in omni sua plenitudine superuenta, ab ipso Dei Filio grauidata, ab Angelo tam reuerenter salutata, à toto mundo beatificata, nihilominus ad infima semper se inclinauit, ut æstimatione propria maneret abiectissima, ac diuino iudicio foret humillima. De qua miratur Bernardus, dicens: Quæ est ista tam sublimis humilitas, quæ honori cedere non nouit, insolescere gloria nescit? Dei mater eligitur, & ancillam se nominat. Non est magnum esse humilem in abiectioe, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Tanta namq; virtutis huius est eminentia, quòd de ea dicit Augustinus: Si queris à me quid sit Euangelicæ perfectionis summa, Respondeo: Humilitas. Et si secundo & tertio queras, respondeo, Humilitas. Nimirum cum sine humilitate nec Mariæ uirginitas, nec sanctitas Theophauißer. Et sine humilitate virtus omnis in vitium vertitur. Irrefragabili quoq; lege sancitum est: *Qui se humiliat exaltabitur.* Et quantum quis se humiliauerit, propria æstimatione, tantum exaltabitur diuina dignatione. Nec est efficacior virtus, per quam potest hostis antiquus deuinci, quàm per humilitatem. Qui dum sibi humilitatem dominari conspiciat, de vitijs alijs hominem tentare nõ præsumit. Hinc beatus Antonius, totum mundum plenum videns laqueis inimicorũ, & inquirens quis illos euadaret, protinus respõsum accepit, quòd solus humilis. Cæterum ad hanc virtutem humilitatis duplici via peruenire quis potest. Prima per donum diuinæ gratiæ: quia nullus humilis esse potest, nisi Deus dederit. *Postulet igitur fideliter à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Et tunc humilitas ab interioribus sumit exordium, ita quòd ab interiori dispositione humilitatis procedunt signa exteriora humiliacionis: & tunc semper sunt vera, quia humilitas, prout est virtus, importat quandam laudabilem defectionem ad ima: quæ defectio principaliter in interiori mentis electione consistit, secundario in signis exterioribus. Secunda verò via, qua peruenitur ad humilitatem, dispositiuè paratur per humanum studium, per quod homo prius exteriora superbiæ signa & incitamenta cohibet, ut postmodum ad interiorem superbiæ radicem extirpandâ perfectius pertingat: quia, secundum Bernardum, humiliatio via est ad humili-

Lucæ 14.  
& 18.

Modus ad  
humilitatē.

Iacob 1.

humilitatem, sicut patientia ad pacem, & sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliatiōnis. Sicut autem prima via diligenter est obsequenda & expetenda per orationes, sic secunda per exercitationes: & vtrunque simul multo melius. Denique, quantum ad vtranque naturam homo secum fert magnam humiliatiōnis causam. Nam inter substantias spirituales anima tenet in summo gradum & locum: inter quas natura diuina supremū, & Angelica medium gradum obtinet: & non solum ex infimo elemento, sed etiam ex terræ limo corpus formatum est, vt nunquam sapere præsumat nisi infima, id est, humilia. Dicitur enim humilis, quasi humi accliuus, id est, inis inhaerens. Est tamen, vt dicitur in Ecclesiastico, qui nequiter se humiliat, scilicet tantum exterius, non interiorius, vbi proprie residet humilitas in affectu: & interiora eius, scilicet intentio & desiderium, plena sunt dolo, scilicet simulata nequitia & hypocrisis. De qua dicit Bernardus: *Hypocrita, eijce trabem de oculo tuo, vt videas.* Trabes in oculo, grandis est superbia, quæ quadam sua corpulentia vana, non sana; tumida, non solida, mentis oculum obscurat, veritatem obumbrat, ita vt si tuam occupauerit mentem, iam te talem qualis es, vel qualis esse potes, sentire non possis: sed talem te ames, qualem esse te putas, vel fore speras. Amor enim, sicut & odium, nescit veritatis iudicium. Sed huic dicitur: *Quid superbis terra & cinis?* Ideo consilio beati Hieronymi, in epistola ad Celantiam, humilitate sequere, non quæ ostenditur atque simulatur gestu corporis, ac ficta voce verborū; sed quæ puro cordis affectu exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem. Illa multo deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpiora sunt vitia, cum virtutum specie celantur.

*Quantò quis maior, tantò debet esse humilior: sed sola meretur gratiam humilitas letæ: cuius est triplex differentia, ac de humilitate cognitionis. Cap. LXVIII.*

**D**um esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus est humilis herba, pectoris purgatiua, vt manifestum sit humilitatem nardi nomine designari: cuius odor & decor gratiam inuenit apud Deum. Nimirum cum, secundum Augustinū, nihil nos Deo sic gratos efficit, sicut humilitas. Ideo consilii Abbas Ephrem, dicens: *Fili præ omnibus humilitati stude, quod est omnium virtutum*

St tum

Humiliati-  
onis cause.

Humilis  
quid.  
Ecccl. 19.

Lucæ 6.

Ecccl. 10.